

ut titularis ecclesiae. Saltem episcopus pronuntiare potest quid agendum sit.

Hæc, ut nobis videtur, applicanda sunt capellanis seu eleemosynariis hospitiorum, collegiorum, respectu patroni ecclesiae seu parochiæ in cuius territorio existunt. Ab illa autem obligatione eximuntur regulares, nisi ecclesia principalis loci sit cathedralis, ut respondit S. Rit. Cong. 14 feb. 1703. Hinc, non solum in ecclesiis Benedictinorum, Trappensium, Patrum societatis Jesu, etc., sed et in capellis monialium non cantatur Missa patroni parochiæ. Sed Missa sine cantu a capellano coram monialibus celebrata debetne esse de patrono? Si capellanus principali ecclesiae sit adscriptus, affirmative; secus, non. In dubio, quid faciendum sit dicat episcopus.

13º Alia restat difficultas solvenda, an scilicet, in capellis ad regulares non pertinentibus, festum patroni eodem ritu celebrandum sit ac in ecclesia parochiali, et an solemnitas debeat pariter in dominicam occurrentem transferri? Sententia affirmans sola videtur sequenda, nisi aliquod festum gradus saltem æqualis et eidem capellæ proprium, celebrandum occurreret: nam 1º S. Rit. Cong. respondens, 17 aug. 1709, officium et Missam *titularis* ecclesiae parochialis non debere celebrari in capellis, supponit non ita esse de principali *patrono*; 2º festum patroni loci, v. g., provinciæ, oppidi vel pagi, ritu solemnii et die dominica, quoad solemnitatem, celebraretur: et, ex more apud nos recepto, patronus ecclesiae parochialis est simul patronus loci; ergo, etc. Hoc videtur pariter intelligendum de octava, tum in officio recitando aut cantando, tum in Missa celebranda.

14º Quæ procedunt ad patronum proprie dictum restringenda sunt, et non extenduntur ad patronum secundarium: officium patroni secundarii, ritu duplicitis majoris (*Rub. de occurrentia, Gavantus et Merati*, t. III, p. 97 et 99), recitari debet ab omnibus et solis clericis ecclesiae servitio vel beneficio adscriptis: ratio est quia patronus secundarius ordinarie non reputatur patronus loci; idcirco a clericis in territorio parochiæ degentibus,

sed ecclesiæ non adscriptis, officium ejus regulariter non recitatur. Consulenda est tamen consuetudo locorum.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE JEJUNIO.

Jejunium in sua generali significatione importat abstinentiam a cibo. Quadruplex distinguitur: spirituale, morale, naturale et ecclesiasticum.

Jejunium spirituale est abstinentia a vitiis, juxta Prophetæ verba, Isai. LVIII, 6: *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis.* Unde S. Aug. Tract. 17 in Joannis Evang.: « Jejunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluntatibus saeculi, quod est perfectum jejunium. »

Jejunium morale est continentia in cibi potusque sumptione juxta temperantiae regulas; jejunium naturale est abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, quale est jejunium ad susceptionem sanctæ Eucharistie requisitum; et jejunium ecclesiasticum est abstinentia a pluribus refectionibus certoque ciborum genere, juxta Ecclesiæ regulas. De illo solo hic agitur, et dicemus 1º de potestate Ecclesiae jejunia præcipiendi; 2º de jejunis ab Ecclesia præceptis; 3º de conditionibus ad jejunandum requisitis; 4º de causis a jejunio excusantibus, et 5º de iis qui ratione jejunii et abstinentiae peccant.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### DE POTESTATE ECCLESIAE JEJUNIA PRÆCIPENDI.

Plures veteres hæretici non solum jejunia non negabant, sed falsis quibusdam momentis innixi, ea ultra modum multiplicabant vel rigidiora faciebant; recentiores vero, ut Lutherani et Calvinistæ fatentes jejunia

in veteri Lege fuisse præscripta, negant Ecclesiam habere potestatem obligandi Christianos ad jejunandum: contra quos sit non habili non

## PROPOSITIO.

*Ecclesia habet potestatem obligandi Christianos ad jejunandum.*

Probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ, testimonii Patrum, et ratione.

1<sup>o</sup> *Scriptura sacra.* Multa reperiuntur jejunia in Veteri Testamento a Deo præscripta: sed insuper 1<sup>o</sup> Synagoga instituit jejunium in memoriam liberationis filiorum Israel a persecutione Aman, Esther, ix, 31: 2<sup>o</sup> Jonadab, filius Rechab, filiis et nepotibus suis prohibuit usum vini usque in sempiternum, Jerem. xxxv, 18, et Deus eos laudavit eo quod omnia mandata patris sui custodirent: 3<sup>o</sup> Apostoli, in concilio Jerusalem, omnibus præceperunt ut a suffocato et sanguine abstinerent: porro Ecclesia eamdem saltem habet potestatem quam habuerunt Jonadab et Synagoga, eamdem quam Apostoli exercuerunt ut legislatores: ergo.

2<sup>o</sup> *Praxi Ecclesiæ.* Ex antiquis canonibus, v. g., 69 eorum qui Apostolis tribuuntur, 19 concilii Gangrensis, anno 324 celebrati, alisque pluribus apud *Gratianum*, 3<sup>o</sup> part., dist. 3, relatis, nec non ex toto Historiæ ecclesiastice decursu, constat Ecclesiam semper habuisse jejunia, ea commendasse, præcepisse et observari jussisse: Ecclesia autem talem exercere non potuit potestatem si tam a Christo non acceperit: ergo.

3<sup>o</sup> *Testimoniis Patrum.* Quicunque enim opera Patrum legerunt, negare non possunt eos jejunia ecclesiastica agnovisse, observasse et ab omnibus legitime non impeditis observanda docuisse: plures de jejunio expresse scripserunt, ut *Tertullianus*, 1. de Jejunio; vel sermones ad populum habuerunt, ut *S. Basilus*, *S. Augustinus*, *S. Chrysostomus*, etc.: ergo.

4<sup>o</sup> *Ratione.* Jejunium ab Ecclesia præcipi potest si sit

bonum et ad fines bonos dirigi possit: atqui hoc utrumque verum est. 1<sup>o</sup> Jejunium est bonum in se et laudabile, ut ipse fatetur *Calvinus*, alioquin Deus illud non præcepisset in Veteri Testamento, Christus illud non commendasset in Novo, tum proprio exemplo, tum dicendo, v. g., Matth. vi, 16: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes..... Cum autem tu jejunas, unge caput tuum, etc.* 2<sup>o</sup> Ad fines bonos dirigi potest, nempe ad iram Dei placandam, ut fecerunt Ninivites, ut saepè exhortantur Prophetæ; ad dæmones expellendos, juxta hæc Christi verba, Matth. xvii, 20: *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium;* ad se humiliandum, sicut David ponens, Ps. xxxiv, 13: *Humiliabam in jejunio animam meam;* ad concupiscentias refrenandas, carnem affligendo, etc.: ergo.

Obligant Protestantes et hodierni increduli: 1<sup>o</sup> Deum pluries manifestasse per Prophetas, v. g., per Jeremiam, xiv, 12, dicendo: *Cum jejunaverint, non exaudiām preces eorum,* jejunia sibi grata non esse; 2<sup>o</sup> verba Christi, Matth. xv, 14, dicentes: *Non quod intrat in os coquiat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coquiat hominem;* 3<sup>o</sup> verba Pauli, I Cor. x, 25: *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam;* I Tim. iv, 1 et 3: *Spiritus, .. manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, .. prohibentium nutriri, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione,* etc.

Respondet autem ad primum, Deum non manifestare jejunia in genere sibi grata non esse, cum contrarium saepè ostenderit, sed jejunia, preces, holocausta pectorum impenitentium sibi non placere; ad secundum, cibos ex natura sua animam non coquinqnare, sed ubi sumuntur contra præceptum, violationem præcepti coqunare, ut patet exemplo Adæ et uxoris ejus; ad tertium, beatum Paulum loqui contra illos qui cæremomias Judaias adhuc observare volebant, et prohibet ne fideles interrogarent an cibi in macello expositi essent lege Mo-

saica permissi vel idolis oblati, nec ne; *ad quartum*, Apostolum designare Marcionem, Tatianum aliosque hæreticos qui perpetuam inducere voluerunt abstinentiam, ad contemnenda et abominanda Creatoris opera. Quis bona fine hæc attendens non videt quam talia objecta sint absonta et a vero sensu aliena?

## ARTICULUS SECUNDUS.

## DE JEJUNIIS AB ECCLESIA PRÆCEPTIS.

Jejunia ecclesiastica nunc usitata reducuntur ad Quadragesimam, Quatuor Tempora et Vigilias.

1º *Quadragesima*. Calvinus eam exhibit, Inst. I. 4, cap. 22, § 20, ut superstitiosam observationem; Lutherani et Calvinistæ ei subscriptentes, jejunia sicut cælibatum sustulerunt, quia, ut ait *S. Aug.*, *venter et genitalia sibi vicina sunt*.

Ecclesia autem catholica docet jejunium Quadragesimalē ab ipsis Apostolis institutum fuisse; in omnibus enim sæculis videmus illud observatum apud Græcos et apud Latinos: concilium Nicænum, can. 5, statuit ut concilium provinciale habeatur bis in anno *ante dies Quadragesimæ*, et *circa tempus autumni*; Eusebius, Hist. I. 5, cap. 23, ait ex traditione Apostolorum sancitum esse ut alio quam Resurrectionis die jejunia solvi non liceat; *S. Aug.*, Serm. 209, 5 in Quadragesima, dicit: «Hi sunt quadraginta dies sacratissimi toto orbe terrarum, quos, proquinquante Pascha, universus mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, prædicanda devotione con-celebrat.» Merito igitur concluditur hanc consuetudinem per quadraginta dies ante Pascha jejunandi, quam universa tenet Ecclesia, quæ nec conciliis fuit instituta, sed semper retenta est, non nisi auctoritate Apostolica traditam rectissime credi.

Hæc tamen Quadragesima non habenda est ut institutionis divinæ, siquidem nulla ejus fit mentio in Evangelii, nec in scriptis Apostolorum, nec ullibi nobis

repræsentatur ut de præcepto divino existens: est ergo institutionis Apostolicae per traditionem ad nos transmissæ.

Duo a Calvinianis objiciuntur testimonia, unum *S. Irenei* apud Euseb., Hist. I. 5, cap. 24, dicentis: «Quidam existimant unico die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii pluribus; nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur;» alterum *Socratis*, narrantis in sua Historia, I. 5, cap. 22, Romanos tres hebdomadas continuas ante Pascha jejunare, exceptis sabbato et dominico die, etc.

Sed 1º *S. Ireneus* de varietate continuandi jejunium tantum loquitur, non vero de varietate dierum jejunii; quidam enim singulis diebus coenabant, quidam biduo vel etiam triduo a quibuslibet cibis abstinebant; alii singulis diebus corpus refici posse arbitrabantur, sed dies suos ex quadraginta horis componebant, etc., ut satis innuunt hæc Irenei verba, *diem suum metiuntur*. Ergo.

2º *Socrates*, Novatiana et Ariana hæresi infectus, nullam meretur fidem, cum, Romanis detrahere volens, *S. August.*, *S. Leoni Magno* aliisque omnibus impudenter contradicat.

2º *Quatuor Tempora*. Contendunt etiam Calvinistæ jejunia Quatuor Temporum longe post Apostolorum æatem pontificia auctoritate invecta fuisse: communis, e contra, catholicorum sententia est illorum originem ab Apostolis repetendam esse; etenim *S. Leo*, traditionum Apostolicarum accuratus investigator, ait, Sermone 92, de jejunio septimi mensis, id est, mensis septembri, quia annus Romanus a mense martio tunc incipiebat: «Quod enim dudum et traditio decrevit, et consuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas pratermittit... ut jejunium quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationem animi et corporis celebremus... Ideo enim ipsa continentiae observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos in desinenter purificationibus indigere, semperque esse nitens.

» dum, dum hujus vita varietate jactamur, ut peccatum  
» quod fragilitate carnis et cupiditatum pollutione con-  
» trahitur, jejunis atque eleemosynis deleatur.

Hic ergo iterum applicari potest regula a S. Augustino tradita et a nobis saepe repetita: *Quod universa tenet Ecclesia, nec concilii fuit institutum, etc.* Probabile tamen videtur jejunia Quatuor Temporum in Galliis non fuisse recepta ante octavum sacerdotium, et proxim eorum non fuisse ubique uniformem, nisi post Gregorium VII et Urbanum II, ac proinde in undecimo saeculo, ut probat *Thomassin*, parte 2, cap. 18.

In Veteri Testamento quedam instituta erant jejunia post captivitatem Babyloniam observata, ut patet ex his prophetae Zachariae verbis, viii, 19: *Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Iuda in gaudium*, etc. Sed non erant jejunia Quatuor Temporum, ut apud nos; bene vero observantur in memoriam observationis urbis sub Nabuchodonosor, eversionis muros, captionis et mortis Godoliae, ut videtur in calendario Iudeorum adhuc usitato inter eos.

3º Vigiliae Christus quandoque erat pernoctans in oratione Dei, *Luc.* vi, 12; *Media nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et audiebant eos qui erant in custodia*, *Act. XVI, 25*. Horum exemplo primi Christiani in pervigilio magnarum solemnitatum solebant ad sepulcra martyrum pernoctare, ut constat ex pluribus monumentis, v. g., ab *Ammiano Marcellino*, *Hist. I, 28*; a *Plinio juniori* apud *Tertullianum*, *Apol. c. 2*; a *S. Hieronymo*, vigiliis et pernoctationes in basilicis martyrum adversus *Vigilantium* fortiter defendente. Ineunte quarto saeculo, concilium Eliberitanum, can. 25, prohibuit ne « feminæ » in coemeterio pervaigilient, eo quod saepe sub obtentu orationis sceleris latenter committant. » Cum enim coemeteria essent loca subterranea et obscura, facilis erat turpititudinem perpetratio: sapienter igitur statutum fuit ut feminæ vigilias in privatis suis oratoriis haberent.

Hujusmodi vigiliae erant preparatio ad celebrationem

solemnitatis disponens, et jejunium importabant: diu perseveraverunt, et non raro graves genuerunt abusus. Concilium Connacense, anno 1260 celebratum, per noctationes in ecclesiis et coemeteriis prohibuit, ob actiones turpes aut violentas, ob saltationes quæ in his locis sacris saepe fiebant. Hæc prohibitio renovata fuit a Clemente V, in concilio Viennensi, anno 1311, et a Clemente VIII, in concilio Aquileiensi, anno 1596, ob easdem rationes.

De medio autem sublatis vigiliis, excepta vigilia Nativitatis Domini, remanserunt jejunia in pervigilio quarundam solemnitatum. Vigiliae sic conservate cum jejunio sunt vigilia Nativitatis Domini, vigilia Paschæ quæ est ultima dies Quadragesimæ, vigilia Pentecostes, vigilia Assumptionis et vigilia omnium Sanctorum.

Plurima olim erant alia jejunia, ut in Adventu, in Rogationibus, in festo S. Marci, in calendis januarii, in sabbato, Romæ, etc.; sed cum ubique obsoleverint, de illis nihil dicemus.

#### ARTICULUS TERTIUS.

##### DE MODO JEJUNANDI.

Certum est apud Catholicos jejunia supra recensita et conservata, sub peccato mortali per se obligare. Ita unanimiter doctores, et Alexander VII sequentem damnavit propositionem, anno 1666: « Frangens jejunium Ecclesie, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto. »

Examinandum est igitur quid necessarium sit ut præceptum jejunii debite impleatur. Conditiones requisite ad tres reduci possunt, scilicet 1º ad abstinentiam a carnis, 2º ad abstinentiam ab ovis et lacticiniis, 3º ad unicam refectionem; 4º dicemus de cenula ex indulgentia permissa.

1º *De abstinentia a carnis.*

1º Seclusa controversia olim agitata, an scilicet abstinentia a carnis sit pars jejunii principalior aut minùs

principalis, certum est apud omnes catholicos illam esse de praecepto et ad essentiam jejunii ecclesiastici pertinere; nunquam enim Ecclesia præcipit jejenum simpli citer, quin simul abstinentiam a carnibus præcipiat, quamvis ab illa dispensare possit, ut infra dicemus.

Dicimus ad *essentiam jejunii ecclesiastici*, quia jejenum in unica refectione sistens, absque delectione ciborum concipi potest, et probabile est Iudeos sic olim jejunasse. Minime vero inde concludi potest, ut volunt Protestantates, nullum ciborum delectum in jejunio admittendum esse; quia Ecclesia tam habet potestatem esum carnium prohibendi, quam unicam refectionem præcipiendi.

2º Nomine carnium die jejunii prohibitarum intelligendæ sunt, juxta S. Th. 22, q. 147, art. 8, et omnes doctores, *carnes animalium in terra nascentium et respirantium*, per oppositionem ad animalia in aquis nascentia et respirantia. Unde 1º omnia quadrupedia et bipedia, in terra viventia, aves per aerem volantes, et generatim ea animalia quæ in aquis respirare nequeunt, prohibentur; 2º pisces e contrario, et quæque animalia in terra communiter non viventia diebus jejunii permittuntur; 3º in dubio an animalia sint terrestria vel aquatilia, ex judicio peritorum in historia naturali, et maxime ex consuetudine pronuntiandum est: sic generaliter statutum est permittendas esse diebus jejunii limaces, testudines, ranas, locustas, conchas, quia hujusmodi animalia non habent sanguinem, aut habent sanguinem frigidum, et piscibus æquiparantur. Idem plures sentiunt de viperis, quæ similes sunt anguillis (idem dicendum est de colubris), de lutris, de castoribus, de fibris; idem communiter dicitur de ardeis (*hérons*), de gallinulis chloropis (*poules d'eau*), de martibus (*martres*), de muribus aquaticis (*rats d'eau*), quia hæc animalia ex solis piscibus communiter vivunt. Non item de corvis marinis, de anatibus feris (*canards sauvages*) et aliis similibus, inter quæ S. Ligorius computat generaliter aves, licet in aquis nutrientur, ut fuliceæ, ac consequenter *les hérons et les*

*poules d'eau*. Spectandus est igitur usus in unaquaque dioecesi receptus. Apud nos ardeæ et gallinulæ aquaticæ eduntur, non vero anates feri. Juscolum et diversæ adipes ex carnibus provenientes, ad carnes ex quibus ext primuntur revocandæ sunt.

3º Lex esum carnium certis diebus prohibens obligat sub peccato ex natura sua mortali: sic interpretantur omnes doctores et communis fidelium opinio. Dicimus *ex natura sua*, quia transgressio hujus legis, ex omnium sensu, materiæ levitatem patitur. Unde qui in parva quantitate de carnibus prohibitis manducaret, leviter tantum peccaret; quantitas autem ad constituendum peccatum mortale requisita, ex judicio viri prudentis determinanda est.

Coqui et coquæ carnes prohibitas diebus abstinentia ex justa ratione præparantes, non peccant juscula et condimenta degustando, quia sufficienter excusantur.

### 2º De abstinentia ab ovis et lacticiniis.

4º Ova et lacticinia olim fuisse prohibita in jejunio quadragesimali, tanquam ex animalibus prohibitis directe provenientia in dubium revocari non potest; *Tertullianus* enim aliquique Patres narrant primos Christianos xerophagiis, id est cibis aridis et siccis, in Quadragesima vesci solitos esse. Hinc concil. Laodicenum, anno 364 celebratum, can. 50: «Non oportet, in Quadragesimæ quinta feria ultimæ hebdomadæ jejunium dissolvî et totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos dies jejunare, et escis abstinentiae convenientibus, id est aridioribus, uti.» Tempore S. Gregorii Magni, sacerdotes, diaconi et reliqui omnes jejunabant «ab omnibus quæ sementinam carnis trahunt originem, a lacte videlicet, caseo et ovis;» esus vero piscium eis permittebatur ut infirmitatis solatium et non ut luxuriæ incendum. Ita S. Greg. in decreto Gratiani, part 4, dist. 4, can. 6. Hæc ovorum et lacticiniorum prohibitio, usu piscium concesso, viguit apud Græcos et Latinos a primis temporibus usque ad recentiora: multæ adhuc

sunt regiones in quibus eorum usus ex sola episcoporum dispensatione fit licitus: in pluribus aliis usus invaluit ut absque dispensatione lacticinia sint licita et non ova, v.g., in diecesi Cenomanehs, in diecesibus vicinis, et generatim in Galliis.

2º Catholici generaliter contendunt prohibitionem lacticiniorum et ovorum in jejuniu quadragesimali esse jure communii sub peccato mortali, idque colligitur tum ex sententia doctorum qui in hoc sibi cum S. Thoma concordant, tum ex sequenti propositione ab Alexandre VII damnata: « Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget; » tum ex natura materiae qua in se est gravis.

Diximus in jejuniu quadragesimali, quia communiter docetur horum prohibitionem non existisse, saltem sub gravi, in jejunis Quatuor Temporum et Vigiliarum, nec a fortiori in aliis jejunis per annum, ubi servabantur.

3º In diecesibus ubi quotannis episcopus a prohibitione manducandi ova dispensare solet, si, ex inadvertentia, hanc dispensationem concedere negligeret, fideles ova manducantes juxta morem constiutum peccati mortalitatis accusare nollemus, tum quia dispensationem præsumere possent, tum quia consuetudo legi derogans sat firma videtur ut excusat tanto, si non a toto.

Probabilius videtur S. Ligorio, l. 3, n. 1010 et alii pluribus, panes bis coctos ex farina et ovis confectos (*biscuits et gâteaux*), etc., diebus quibus ova prohibentur edere, a peccato veniali non excusari, nisi saltem aliquo-  
lis causa accedat. Sunt verba S. Ligorii.

### 3º De unica refectione, de ejus hora, et de potu.

1º Multo probabilius est unicam refectionem ad essentiam jejunii ut partem magis principalem pertinere: jejunium enim sine abstinentia ab ovis, carnis et lacticiniis concipiatur, cum pluribus vero refectionibus concipi non potest: unde secunda refectio proprie dicta esset, juxta omnes, peccatum mortale. Parvae autem comestio-

nes etiam ciborum licitorum sunt peccata venialia, quae ex repetitionibus in eodem die fierent peccatum grave, si in materiam notabilem coalescerent, ut patet ex hac propositione ab Alexandre VII anno 1666 damnata: « In die jejunii qui saepius modicum quid comedit, et si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. »

2º Quamvis primi Christiani a vino diebus jejunii abstinerint, ut S. Chrysostomus, S. Hieron., S. Basilus aliqui Patres testantur, extra omne dubium est vinum licitum nunc esse, et a multis saeculis, si in refectione permissa sumatur; nam *vinum ita bibere permititur, ut ebrietatem omnino fugiamus*, inquit S. Greg. Magnus in Decreto, part. 1, dist. 4, can. 6. Communius etiam docetur potum vini, extra comedionem, ad sedandam siti vel ad digestionem juvandam, jejunium non frangere; nam « *jejunium non solvit nisi per ea quae Ecclesia interdicere intendit*, » inquit S. Th. 2 2, q. 107, art. 6 ad 2. « Non intendit autem Ecclesia interdicere potum, qui magis sumitur ad alterationem corporis et digesti-  
tionem ciborum sumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. » Hinc natum est axioma: *Liquidum non frangit jejunium*, quod bene intellectum nihil habet inordinatum. Sed dubium fit an *vinum extra refectionem sumptum ad sedandam famem, præceptum jejunii lädat*: multi affirmant, quia sic agens finem jejunii frustrat; alii vero multi negant, quia statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, et finis præcepti non cadit sub præcepto. Posterior haec sententia a multis tenetur et probabilior videtur S. Ligorio, l. 3, n. 1022; prior tamen est probabilis et tutor.

3º Quod de vino dicitur, pari ratione dicendum est de aliis liquoribus qui per modum potus sumuntur, v.g., de cerevisia, de succo malorum, pirorum, de aqua saccharo mixta (*de la bière, du cidre de pommes ou de poires, de l'eau sucrée*). Saccharum per se ad potum certe non pertinet, sed multa aqua immixtum rationem potus ac-

quirit, vel potius naturam aquæ non mutat : *a fortiori* nec partes ex hordeo depromptæ in cervisia. *Ita communissime auctores.* Idem est adhuc de *casseo*. Hoc timorati apud nos non sibi permittunt extra necessitatem, aut saltem nisi notabilem habeant causam.

4º Major est difficultas de *chocolato*. Plurimi negant illud frangere jejenum, modo usus illius fiat ut in Mexico, id est parva quantitas *chocolati* cum multa aqua immisceatur, quia rationem tunc habet potus ; secus si sumatur ad instar densæ pultis, puta, si misceatur aquæ cum majori vel æquali quantitate, quia in eo casu haberet rationem esus et non potus. Alii vero plures et communius, ut *Sanchez*, *Sylvius*, *Layman*, *Concina*, *Ferraris*, *S. Ligorius*, contendunt chocolatum per se jejenum frangere, quia ex se est alimentum et non potus. Illius tamen usum permittunt in modica quantitate, ad consolidandum stomachum, maxime ex consuetudine in multis locis recepta, v. g., in Italia, in Hispania, in Portugalia, etc.; consuetudo enim antiqua et generalis vim habet legem introducendi, abrogandi aut interpretandi. Hæc autem consuetudo in Gallia non viget.

5º Omnia ecligmata, quæ *S. Thomas*, 2 2, q. 147, art. 6, ad 3, vocat electuaria (*les diverses espèces de sirops*), si per modum medicinæ sumantur, ex communissima opinione jejenum non frangunt. « Dicendum quod electuaria, inquit *S. Th.*, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum : unde non solvunt jejenum, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. »

6º Quoad horam sumendi refectionem, certum est per multa sæcula non licuisse quadragesimale jejenum ante vesperam, id est solis occasum, solvere et alia jejunia ante horam nonam, scilicet tertiam post meridiem. In duodecimo sæculo jam licebat jejenum quadragesimale hora nona solvere, ut notat *S. Th.* 2 2, q. 147, art. 7, ad 2 et 3. Nunc vero juxta omnes, refectio licite sumitur

circa meridiem, et nihilominus nomen cœnæ retinet, in memoriam antiquitatis; unde in Quadragesima vesperæ dicuntur ante prandium, et in refectorio preces pro cœna statutæ recitari solent.

Diximus circa meridiem; quia hæc hora sumitur moraliter, et communites quæ prandere consueverunt hora undecima cum dimidia, regulam suam mutare non tenentur ob jejenum etiam Quadragesimæ. Qui vero prandium, sine causa legitime excusante, notabiliter anticiparent, graviter peccare possent; sed hoc ex judicio viri prudentis æstimandum est. Anticipare dimidia hora peccatum esset leve; duabus horis, peccatum esset mortale, juxta *Sylvium*, *Lessum* aliosque communiter, inter quos plures arbitrantur anticipationem unius horæ ad constituendum peccatum mortale sufficientem esse.

7º Tempus quo prandium tuto protrahi potest non determinatur neque lege neque consuetudine: quidam concedunt usque ad quatuor horas, saltem pro Germanis, juxta morem eorum; ali vero vix permittunt duas horas, quod tamen communius admittitur.

8º Hæc refectio debet esse continua, absque morali interruptione, alioquin non esset unica, sed plures essent refectiones. Qui autem e mensa, ob superveniens negotium, surgit animo revertendi, quamvis spatio dimidiæ horæ vel horæ integræ absit (quidam dicunt duarum horarum), jejenum non frangit prandium suum continuando. Si assurgendo non habuisset animum revertendi, iterum comedendo novam assumeret refectionem, et contra legem jejunii plus minusve peccaret secundum materiæ quantitatem. Concedunt tamen auctores, v. g., *Concina*, eum qui, falso credens prandium esse finitum, mappulam involvit, cum intentione nihil ultra comedendi, et advertit aliud superesse ferculum, ex illo absque jejunii dispendio manducare posse, quia externa non existit interruptio, sed tantum animus interrupendi : porro externa requiritur interruptio, et interna non sufficit.

Brevis suspensio, v. g., per unam quadrantem, sine

causa et animo revertendi, in usu communi hominum, non consetur interruptio proprie dicta.

9º Qui in ea refectione cibo et potu ita se ingurgitat ut afflictionem jejunii non sentiat, contra ipsam jejunii legem non agit, siquidem utitur alimentis permisssis et unicam sumit refectionem, sed temperantiae leges violat, ut patet, finem jejunii impedit, et sub hoc respectu venialiter aut mortaliter peccat, secundum circumstantias, et ordinarie tantum venialiter.

4º *De Cœnula seu collatione serotina.*

In primis temporibus monachi solebant, post cœnam, diebus jejunii, coadunari, libros sacros aut asceticos legere, de factis aut veritatibus lectis secum loqui seu colloqui ad mutuam ædificationem : hoc igitur exercitium appellabatur collatio, seu conferentia. Post illud permittebatur potus vini aut aquæ ad juvandam digestionem et fovendum somnum. P. *Concina* probat, ex regula S. Dominici et ex S. Bonaventurae testimonio, in tredecimo saeculo usum adhuc viguisse, solum, post collationem spiritualem, sumendi potum diebus jejunii.

Deinde, invalescente consuetudine cœnam anticipandi, non solum hora nona, sed etiam sexta seu meridiana, mos simul invaluit non tantum aliquid bibendi ante somnum, sed et manducandi, ne potus noceret. Talis est origo cœnulae per tot saecula inauditæ, et nunc universalis, quæ etiam dicitur collatio, collatiuncula et refectiuncula.

Nulla lege positiva Ecclesia hanc refectiunculam approbat; sed eam vidit incipientem, paulatim grassantem, universalis consuetudine firmari, et non reclamavit: unusquisque ergo potest, tuta conscientia, eam servare, sive etiam timoratissimi nunc faciunt.

At plures moveri possunt difficultates 1º circa qualitatem alimentorum, 2º circa quantitatem, et 3º circa horam qua sumi potest haec collatiuncula.

1º *Circa qualitatem alimentorum.* Varia varii sentiunt

doctores in eo puneto : alii enim volunt hanc cœnulam sumendam esse in modico pane, cum fructibus et herbis, non in cibis proprie dictis, ut sunt lacticinia, ova, pisces cocti, legumina cocta, etc. : alii permittunt modicum casei, butyri, laetis, pultis amygdalinae, alii panem coccum cum amygdalis, vel coctum in aqua cum sale tantum; alii concedunt parvos pisces etiam frixos in oleo vel in butyro; alii cibos omnis generis in refectione permisso, sed in modica quantitate, etc. In tanta opinonum varietate nulla melior assignari potest regula, quam ut unusquisque proxim timoratorum in sua diœcesi sequatur; quia cum cœnula ab universalis Ecclesia non fuerit instituta, sed a particularibus paulatim introducta, eo modo sumi debet quo in singulis provinciis a timoratis fuit recepta, et cavendum est a nova laxitate introducenda. *Sic generatim accuratiores theologi.*

Apud nos autem permittunt fructus arborum etiam cocti, legumina cruda et cocta, sed frigida, cum oleo, sale et aceto condita, caseus, butyrum, lac crudum, pisces crudi, ut conchæ, panis assatus in vino vel in lacte crudo madefactus (*rôtie au vin, au cidre, au lait*) toleratur.

2º *Circa quantitatem.* Multa etiam observatur inter theologos varietas in determinanda quantitate quæ in præfata collatione licite sumi potest: omnes fatentur eam debere esse modicam, et talem ut a refectione essentia liter differat. Communius haec assignatur regula, ut refectiuncula non excedat quartam partem cœnae ordinariae quam quis, spectata sua persona, aetate, conditione, occupatione, fatigatione, regione, ad sufficientiam naturæ sumere solet. Unde, si quis in ordinaria refectione duabus libris alimentorum indigeat, octo sumere potest uncias in collatione: si una libra ipsi sufficiat, quatuor tantum uncias sumere potest. Quantitas enim naturæ sufficiens variatur secundum personas, genus vitæ, regionem, etc., v. g., multo major alimentorum quantitas necessaria est juveni quam seni, rustico quam civi tota die otianti, in regione frigida habitanti quam in plaga torrida, etc.